



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam
interpretis donatus

Iter ad coelum in quatuor partitum Semitas seu partes, & Fasciculum
Myrrhæ

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

Dubium 18. An Christus in Cruce condiderit testamentum suum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49363)

babile est, aquam illam cum tanto effluxisse impetu; & esto etiam ibi adfuisse materia; baptismi tamen deesse forma cum persona baptizante.

Respondent alii communiter (& hæc est probabili opinio;) Latronem illum fuisse baptizatum Baptismo fluminis, qui est baptismus contritionis omnibus adultis necessarius & sufficiens, quotiescunque haberi nequit baptismus aquæ.

S. Cyrill.
Hieros.
Car. 13.

Tertio dubio responderetur: eum non posse dici primum, absolute loquendo, qui viderit Deum, & per consequens, ingressus fuerit paradysum: etenim Christus Dominus ante Latronem mortuus, descendit ad limbum: igitur ante Latronem Patres, qui in eodem limbo combatant, viderunt Diuinam Essentiam. Nihilominus respiciendè & quantum ad modum primus dici potest, qui ingressus fuerit paradysum, & viderit Deum, quia, cum subito vidit Deum post mortem (quod nemini Sanctorum Patrum antiquorum concessum fuit) gaudens privilegio baptismi sanguinis & aquæ, nec vllas purgatorum luens pœnas.

Dubium Decimum Octauum.

An Christus in Cruce condiderit testamentum suum?

S. Ambr.
Epist. 32.

Sunt, qui Christum suum testamentum in Cruce condidisse opinantur. Testabatur in Cruce Christus, & Mater atq; Discipulum diuidebat pietatis officia. Testis est, quia eo tempore Latroni, & in persona eius cuiusdam verè credenti ac pœnitenti promisit hæreditatem.

S. Dam. lib
4. c. 14.

Alii Christum testamentum suum in Cæna fecisse ferunt. Ea nocte, quæ seipsum tradebat, testamentum suum instituit. Vtraque sententia vera est. Vnde dicendum, Christum condidisse testamentum suum in cœna, illudque confirmasse in Cruce; nam testamentum nil aliud est, quàm dispositio hæreditaria. In Cæna Christus filius suus

Suar. disp.
37. sect. 4.

quodammodo hæreditatem suam in Cruce confirmasse videtur.